DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHI INDICIIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
TYPHI INDICIIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LODGE KIDD,

Hibernus.

COLLEG. REGII CHIRURG. LONDIN. SODALIS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SODALIS ET PRAESES,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

CHIRURGUS:

NECNON

Cohort. Milit. Agri Armagh.

CHIRURGUS,

&c. &c.

" Sunt autem acutissima, et maxima, ac gravissima mala, et maximè lethalia, in febre continua." Hip. Epidem. L. i. § iii.

" Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt." Cic.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXVIII.

HONORATISSIMO AC ORNATISSIMO

CAROLO BARONI DE COLCHESTER,

REGIAE MAJESTATI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,

SIGILLI SECRETI APUD HIBERNOS

CUSTODI,

TERTII NUPER ORDINIS

PRAESIDI,

&c. &c. &c.

VIRO

SEU REMPUBLICAM CAPESSENTI,

SEU VITAM PRIVATAM VIRTUTIBUS ORNANTI,

OMNIBUS MERITISSIMO PERCARO:

OB AMICITIAM EJUS, ET BENEFICIA PLURIMA,

NEC UNQUAM OBLIVISCENDA,

TENUE HOC OPUSCULUM

ANIMI HAUD INGRATI

TESTIMONIUM

SACRAVIT.

GULIELMUS L. KIDD.

"Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore Vultus." VIRG.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHI INDICIIS.

Ut Institutis paream hujus Almae Academiae quae postulant a quoque ad summos Medicinae honores evehi cupienti, ut dissertationem componat, quâ de ejus peritia in rebus medicis judicetur, antequam tales honores recipere potest, de *Typho* tractare decrevi ego, non tantùm quod morbus frequentissimus est, et periculi insignis raro expers, et itaque diligentiam medicorum potissimum vindicans, sed etiam quod dum operam rei medicae viginti annis dedi, (et eheu quantum adhuc ignoro artem!) mihi

acciderunt occasiones multae et bonae scrutandi ejus accessum, rationem, et proclivitatem lethalem, in regionibus orbis diversis terrarum, quas meum erat [dum Chirurgus Classis Regiae haud paucis annis stipendia feci,] adire. Tunc saepe eos laborantes *Typhi* variis gradibus curavi, quos induit ille morbus quum cœlo insalubri et egestate horum quibus opus est proprie nutriendo febricitantes aggravatus sit, necnon variis causis quas facile animo fingere possunt, qui morbum bene intelligunt, situmque quo sunt multi homines, hoc morbo laborantes, conferti in nave sub cœlo insalubri, necnon multis vitae necessariis privati.

Mihi etiam contigit perscrutari *Typhum* late grassantem natali meo solo * mensibus aestivis et autumnalibus anni praeteracti, et quamvis morbus non talem gravitatem illic indicabat, ac prioribus vicibus notaveram in cœlis minus salutaribus, tamen permulti in variis Insulae locis ei succubuerunt.

Longe progressus considerando diversa capita quibus dissertatio de quovis morbo se

* Hibernia.

naturaliter dividit, sensi quod animadvertere singula horum modo rei idoneo vel consentaneo hominum dignitati qui debent hanc meam dissertationem penitus investigare, exigeret plus spatii, quam opusculum hujusmodi plerumque complectitur, plus temporis, quam persecutio studii scientiae medicae praeberet, et plus peritiae, quam suaderi potui (quatumcunque nobismet adulari in his soleamus,) me possidere.

Nolens vero prorsus demittere introductionem argumenti, cujus momentum maximum judicavi esse, et de quo diu *con amore* contemplatus sum, sensi ut quamvis non potui sperare de tota re bene disserere, possem saltem anniti sic de uno ejus capitum disserere, ut dissertatio mea minus reprehensione digna esset, quam verisimile fuisset si consilium meum primum secutus eram.

Inter haec in animo meo agitandum, suasus sum modum quem sequor anteferre, fortuito reperiendo sententiam sequentem. " Solent autem homines, naturam tanquam " ex praealta turri et e longè despicere, et " circa generalia nimium occupari; quando " si descendere placuerit, et ad particularia

"accedere, resque ipsas attentius et diligentius inspicere, magis vera et utilis fieret comprehensio *." Atque porro incitatus sum exemplo auctoris illustris recentis †, qui ingenii splendore sui illustravit, ut non dubio gradu in viam quam nunc trepide ingredior perrexerit, et quâ bene sentio quam ero proclivis errare. Hisce rebus praedictis ad rem veniam invocatione Poetae,

"——— Dî, coeptis [nam vos mutastis et illas]
"Adspirate meis. Ov. Met.

In Synopsi Culleni Genus *Typhus* duas species complectitur, nempe

I. *Typhum Petechialem* (plerumque cum *Petechiis*.)

II. *Typhum Icterodem* (cum flavedine cutis.)

De symptomatis prioris harum solummodo mihi est in animo in praesenti disputare.

Typhus Petechialis iterum distribuitur in

a. Typhum mitiorem.

b. Typhum graviorem.

---

* Bacon de Aug. Scient. † Doctoris Georgii Fordyce.

Gradu solo hi morbi variant; hic designatur omnibus symptomatis illius, gravioribus tamen, et aliis insuper quae in morbo leniori non apparentes mihi provenire videntur de rebus adventitiis, de coelo nimirum, de tempestate, de copia contagionis recepta, de pristinâ valetudine aegri, de vitae necnon artis suae genere, de salubritate vel insalubritate domicilii, vel de modo quo tractatus erat aeger morbo ineunti, et similibus.

Auctore illustri supra-memorato *Typhus* ut *Genus*, *sectionis* "Continuae" *ordinis* "Febris" *Classis* "Pyrexiae" definitur esse, "Morbus contagiosus, calor parum auctus, "pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, "Urina parum mutata, Sensorii functiones "plurimum turbatae, Vires multum immi-"nutae *."

Meditatis varietatibus notabilibus gradus, modorum accessus, progressus, durationis, et terminationis in *Typho* notandis, ex causis quibusdam antea-notatis pendentibus, non possumus mirari quanto inter se dissident scripta horum qui de ejus historia, de

---

* Synopsis Nosolog. Method, tom. ii. § 1.

symptomatis, de causis, de methodo medendi et de caeteris tractaverunt: nam, quamvis natura, dum ritum consuetum tenet, et dum integrâ valetudine fruitur corpus, sub imperio observatur quarundum normarum esse, quin si in eo interpellata, causâ quadam nocua interveniente, cernamus illam ab eo aberrare ratione haud explicanda, et fortassè de operis aequè pendente quas oppugnando invasionem consuetudinum solitarum praestat, ac de viribus materiae nocuae cujus impulsui resistit *. Pari ratione oportet nobis in febribus seriem istam certam signorum non quaerere, quam invenimus tam certo et accurate in libris praescriptam, nec similitudinem exactam inter omnia in duobus quibuslibet febricitantibus, utcunque numerosi sint, quos nobis accidat nutrire.

Meum erit in hisce paginis describere haec Indicia ex quibus constat *Typhus*, vel quae plerumque consociantur cum *Typho*; agam ea collocare quantum ut potero ratione qua plerumque accidisse notavi; hoc tamen praedicto me non velle asseverare nihil un-

---

* Cullen's First Lines, c. ii. § 46. and c. iii. § 59.

quam accidere in Typho vel cum eo consociari his exceptis quae designabo, nec omnia horum invenienda esse in singulis febricitantibus. Mihi consilium est haec notare quae vidi egomet, et quae medicus, si illi acciderit multos febricitantes nutrire, citius tardiusve oriri expectet, et quorum haud pauca occurrere speret in singulis fere aegris qui *Typho* perspicuè notato premantur. Hacce dissertatione potius ex meis observationibus quam ex libris descripsi, attamen confiteor me variis auctoribus multum commodum deduxisse, potissimum Doctore Georgio Fordyce.

Sententia est auctoris modò memorati plures febres accidere inter horam octavam matutinam et horam octavam pomeridianam quam in horis alteris duodecim diei, et rationem decemplicem esse *. Non huic ibo inficias, quinimo opinor causam ejus explicari posse observando quod inter horam octavam pomeridianam et horam octavam matutinam plerique omnes in lecto horas novem, extra quidem tres solas expendunt, et hinc acces-

* Dissertation on Fever, p. 33.

sus febrilis (et bene novimus accessum febris saepius haud manifestum esse,) tunc transeat sive non sensibus perceptus, sive dum dormit febricitans sudore tollatur, et paroxysmus alter nunquam eveniat.

Accessus *Typhi* saepe maximè insidiosus est, et aegro ipso, vel amicis suis haud detegendus; quandocunque vero pernoscitur, videmus eum plerumque sese indicare, taedio quodam aegrum a motibus corporeis aversum reddente, et an hoc defectum virium mentis gignat, an ab eo defectu oriatur incertum est; sed sine dubio tamen ea vitia plerumque consociantur, et aeger non minus aversus est ab exercitatione mentis quam Corporis. Haec Inquietudo et Lassitudo comitantur, illa et mentem et corpus cruciat ut manifestatur desiderio illo positus corporis et argumenti cogitationis, vel colloquii crebro mutandi, haec adversatur proclivitati saltem mutationis corporis. Una cum Repugnantia possumus etiam notare Impotentiam exercendi vires musculorum, necnon functiones corporis quomodocunquè ab iis pendentes; et haec notari potest non in his musculis solis, quorum actiones sub imperio voluntatis sunt,

at quidem in iis qui extra imperium ejus agunt, nimirùm corde, diaphragmate, et musculis respirationi subservientibus. Huic impotentiae signum illud tribuo quod in hoc gradu morbi aliquando notari potest, nempe respirationem difficilem quae expirationibus et suspiriis imo pectore tractis perficitur, oscitationibus haud raro iteratis: haec impotentia agendi animum etiam afficit, et saepe *Typho* ineunte ineptum reddit plurimis officiis fungi, scilicet, Perceptione, Memoriâ, Judicio et caeteris.

Multum discrepant auctores quoad Verbum quo debet haec alienatio virium corporis mentisque designari: Quidam auctor * opinatur eam nominari deberi "Virium depressio" et sensum suum ostendat dicendo vires nec amitti, nec amoveri, sed tantummodo morbo impediri, non secus ac moles in momento machinae posita impedit potestamen ejus agendi, at mole sublatâ, potestas statim redit †. Cullenus et multi alii eam nominant "Debilitatem." "The *debility*" (ait Cullenus) "induced in fevers by conta-

---

* Doctor G. Fordyce.

† Dissertation, p. 35. et seq.

" gion, or other causes, appears especially " in the weaker energies of the brain, but " in what this consists, or how it may be " directly restored, we do not well know *. Egregius et colendus Doctor Duncan, senior, in ejus praelectionibus clinicis aestimabilibus, eam nominat " Debilitatem" at superaddit vocabulum " febrilem" ad eam distinguendam a debilitate generatim intellectâ, a qua demonstrat eam in multis differre, et non tam ex defectu virium musculorum constare, quam ex defectu eorum obedientiae imperio voluntatis, non secus ac motus effraenati musculorum ebrii ; et praeterea causas minimè injuriam sano corpori inferentes hanc debilitatem febrilem valde augere ; exempli gratiâ, febricitans dum recumbit par est exercitationi musculari haud exiguae, at ubi erectus sedeat vires evanescunt, debilitas augetur, et quidem usque ad animi deliquium evadit ; denique debilitatem febrilem saepe augeri, postquam plura ex signis aliis febri necessariis sublata sunt.

---

* First Lines, Lib. I. c. vi. § 203.

Revera debilitas corporea quandoque accessui *Typhi* abest; cognovi qui circumambularent et rebus ordinariis operam darent plurimis diebus post accessus febris patefactus erat, at hos semper sensi tardè convalescere, et non raro morti succumbere. Peste quidem ipsâ quam Cullenus definit "Typhum maximè contagiosum, *cum summa debilitate* *" certiores fimus auctore fide digno †, plures eâ contactos longulè pedes ivisse ad medicum consulendum.

Illo ipso tempore, vel paulo post haec indicia, sensus frigoris aegro adest: hic partibus externis corporis plerumque refertur, sed alios audivi imis visceribus vel quidem ossibus eum referre; hos plerumque occupat horror, qui aliis abest; Tunc etiam notare possumus musculos praesertim faciei artuumque collapsos esse. Sensu frigoris durante cutis tactu calet, et si *Thermometrum* ei admoveatur, videbitur calorem summae cutis superare eum corporis prosperâ valetudine, et Hydrargyrum in tubulo *Thermometri Fah-*

---

* Synops. Nosolog. Method. Gen. xxix. † Russel.

renheiti ad centesimum secundum, vel ad centesimum et tertium, vel quidem usque ad centesimum et quartum gradum sursùm serpere: sed non semper ita se habent res, nam in aliis *Thermometrum* decrementum caloris indicat, et plerumque nobis licet decernere *Typho* ineunti inesse potestatem sive generationem caloris animalis minuendi, sive calorem liberum jam genitum dissipandi. In quibusdam horum *Thermometrum* calorem corporis ad gradum nonagesimum et sextum vel etiam usque ad nonagesimum et quintum redigi demonstrat. Interdum multum discrepat calor in partibus corporis diversis, et hoc aegro ipso vel manu astantis admotâ sentitur, vel *Thermometro* diversis regionibus aegri imposito indicatur. Dum persistit frigor, et quidem interdum diutius, urina aquosa, copiosior, decolorque redditur.

Ab iisdem causis, quibus pendent jam memorata, pendet etiam aliud signum quod saepiùs iis conjungitur, hebetudo nempè sensuum externorum: sicut facultates mentis judicandi, digerendi, recordandi minuuntur, ita maximè minuuntur facultates sensuum externorum audiendi, sentiendi, videndi,

gustandi, et odorandi: laesioni cerebri omnia haec propriè referri possunt, at qualis haec sit laesio, aut quo modo haec efficit, nobis adhuc desideratur; equidem quod in *Typho* de laesione cerebri adhuc novimus, suppetias haud maximas nobis fert in morbum medendo, sed saltem sufficiat ad nos adducendos diligenter auscultare, quae ex variis medicamentis remediisve adhibitis, prout augere vel minuere ejus visceris laesionem tendant.

Paucis primis diebus morbi pulsus raró tantoperè augeatur quoad velocitatem, ut nostram observationem sibi vindicet, in hoc gradu haud saepè superat octoginta quinque vel nonaginta in sexagesima parte horae ictus, sed progrediente morbo notatur "Pulsus parvus, debilis, plerumquè frequens," nostri illustris scriptoris de definitione morborum, et saepe quidem usque ad pulsus centum et triginta accedit, et prout res se habeant languescit, debilitatur, facile comprimetur, et equidem non aequiis intervallis pulsat.

Sub initium notantur anorexia, nauseaque, et si paulo post accessum, cibum liberaliùs

sumpserat aeger, has comitatur vomitus, praesertim si comprimitur alvus.

Mox, alia et graviora signa se manifestant, dolores in regionibus corporis diversis, praesertim in capite, et artibus, dolor dorsi ferè sentitur in spina dorsi inferiori circum vertebras lumborum, et medicum audivi asseverare, sectis multis cadaveribus eorum qui *Typho* aliisve febribus mortui erant, se semper deprehendisse medullam spinalem cum vagina ejus morbidam esse, tam firmitate quam colore. Dolor hic lumborum licèt plerumque augeatur dum se erectum tenet aeger, tamen non semper ei recumbendo levatur, sed saepe illum diu excruciat in quocunque modo cubat.

Post diem sextum septimumve "calor parum auctus" Culleni, definitionis accuratae pars esse cessat, nam Calor summae cutis et quidem totius corporis aegri, si modis idoneis non impediatur, manifeste augetur, nec aegro solo hoc incrementum caloris sentiendum, nam manus astantis admota sentit calorem mordacem, et columella Hydrargyri in tubulo *Thermometri Fahrenheiti* saepè gradum centesimum et quartum indicat.

Hoc incrementum caloris raró comitatur sudor, sed si erumpat hic, extra caput, vel cervicem, vel palmas adversas non extendit, plerumque subfrigidus et viscidus est, et haud raró graveolens. Una cum aucto calore corporis, notantur anxietas febrilis insignis, cutis perarida, sitisque ingens; verisimile est sitim maximè pendere a secretione salivae impedita spasmo vasa glandularum salivam secernentium comprimente; praetereaque probabile est augeri spasmo occludente extremitates vasorum exhalantium in os internum et in fauces, ore aperto hiantium, necnon a calore spiritus aucto ex pulmonibus expirati, qui etiam interdum foetet.

Hìc haud intempestivum sit mihi opinionem memorare, quam multa in decursu *Typhi* mihi annotata suggesserunt, nimirùm, omnia quae accidunt in *Typho*, aut quidem in qualibet febre continua, ex accessu usque ad sextum vel septimum diem morbi, motus esse ex materia nocua provenientes aut ex febre ipsa ut Culleno descripta *, dum ea quae posthaec occurrant, citiùs, se-

* Cullen's First Lines, loco supra cit.

riusve pro eo ut res sint, habenda potius symptomata esse renixus, (Anglis "*Reaction*" dicti,) systematis, aut motus quos instituit vis *medicatrix* Naturae ad ejiciendum, vel ad vincendum actionem insalubrem quam materia nocua supra notata in corpore genuit, et per quoddam tempus in eo sustentavit *. Haec mea opinio si benè fundata, sufficiat aliquatenus demonstrare causam terminationis tot febrium continuarum epochis septenariis, quod benè novimus accidere, et praetereà, multum nos adjuvet in consiliis morbo medendi, imprimis consilium demonstrat esse oppugnare, aut si possimus modis idoneis, et tempestivis, ex toto, prohibere progressum seriei actionum morbidarum in primis diebus febris, et posteà ubi vires vis *medicatricis* naturae excitantur, occurrere, aut saltem reprimere actiones immodicas suas, vel in vocabulis ipsius Culleni "impe-
"tum renixus moderare †."

Lingua hactenus probabiliter parum affecta, aut verò medio solo muco superintecta, nunc exarescit et indurescit, tegminis color

* Cullen's First Lines, loco supra. cit.

† Ibid. t. 1. p. 107.

a candidulo ad subflavum aut aureum, postea ad subfuscum, denique ad subnigrum gradatim mutatur, sub initium a lingua facilè abradi potuit, at demum tam tenaciter adhaeret, ut vix aut ne vix quidem separari possit. Dentes labiaque tunc maximè sordescunt, et adeò viscidae fiunt sordes, ut stratis serie continuatis, tunicam haud tenuem dentibus formare et reverà inter se labia agglutinare videntur.

Nunc urina minus copiosè redditur, color ejus rubicundior fit, et plerumque nihil sedimenti deponit, at interdùm depositio hujusmodi accidit. Doctissimus et scientissimus apud nos Medicinae Practicae Professor * in praelectionibus ejus, praeceptis maximè abundantibus, dicit ipsum olìm diligenter perscrutatum esse statum urinae febricitantium, sed ex hoc minimè didicit, quoniam saepè multum discrepabat species ejus, cùm caetera omnia videbantur paria esse.

In multis et praecipue in his quibus morbo ineunte, indicabatur appropinquatio ad

* Dr. Gregory.

synocham inusitata, circa hunc *Typhi* gradum, nobis notare liceat quoddam viscus plus aliis morbo affici; nempè Jecur, in coelis calidis praesertim, et imò frequentius Pulmones ut saepè per mare notavi, necnon in coelis septentrionalibus, et in tempestatibus perfrigidis; hae conjunctiones morborum difficùltur medicabiles et haud periculi expertes sunt. Quidam auctor experientissimus * has morborum conjunctiones quoque notavit, et quamvis in hac dissertatione meum non sit de modo medendi tractare, in manu non est observare, quod mihi apparet illum nimiùm timere missionem sanguinis, et me in his observavisse solamen notabile et celere saepe supervenire detractioni haud minimae sanguinis, sive ex vena scalpro chirurgico, sive ex vicinitate partis dolentis cucurbitulis applicatis, cute jam incisâ. "In temperate and "cold latitudes" (ait Thomas), "and in "the winter season of the year, it is by "no means an uncommon occurrence to

* Dr. Thomas.

"meet with Typhus complicated with more "or less of topical inflammation of the "thoracic viscera. In such cases I have "known venesection to be employed; but "even in these it has appeared to me to "be detrimental, and in two instances "which lately fell under my observation, "seemed indeed to have destroyed the "patients. Instead, therefore, of having "recourse to the lancet where topical in- "flammation of the viscera of the thorax "attends on Typhus, I would recommend "drawing blood from the chest, either by "means of eight or ten leeches, or by "the application of a scarificator and cup- "ping glass, and repeating them as occa- "sion may require *."

Has partes speciatim memorando laesionem cerebri non negligo, cui ut jam memoravi per totum progredientem morbum oportet medicum perattentum esse, ipsa nunc incipit se manifestare novâ serie signorum, nempè dolore cerebri ipsius

* Thomas' Practice of Physic, in capite "*Nervous Fever*."

et ejus meningum aucto; dolore et tinnitu aurium, surditate vel perfecta vel imperfecta, et breviter omnibus quae amplectuntur verba Culleni. "Functiones plurimum "turbatae." Si obdormescit aeger horrendae illi dormienti species videntur, et expergiscens haud statim mentis suae est. Imaginatio perturbatur. Attentio non facilè excitatur. Facultas circumstantia discernendi diminuitur. Cogitationes ingratae menti objiciuntur, et quò gravescit morbus èo augescunt omnia haec. Superveniunt sopor, coma, murmurationes disjunctae, et varii gradus delirii.

Plerumque alvus compressa est, et stimulo horum quae alvum usitatè eliciunt, respondere negat, et cùm ita se habent res, alvo denique respondente, faeces copiosae nigrae et maximè graveolentes dejiciuntur; haec faecum dejectio rara, aliquatenùs explicari potest cibi abstinentiâ, et adhuc ampliùs, motu omnium organorum secernentium minuto, et inter alia, horum qae diversa in alvum fluitantia secernunt, sive ut ipsa excernantur, sive ut istam ad officiis ejus idoneis fungendum stimulent. Si alvus

compressa progrediatur inobservata, aut si ex parte solummodò aperiatur, cum variis malis, saepe incitat, aut quidem maximè auget ventriculi irritationem, et si morbus "*Typhus* gravior" sit, haec irritatio haud desinit aegrum diù cruciare, vel saltem donec alvus liberè responderit.

Petechiae sub cute variis diebus *Typhi* patescunt, nempe ex quarto usque ad decimum quartum diem, prout res se habeant; tempus exortus earum multum ab aegri aetate pendet, a ventilatione, munditiis et a refrigerantibus quibus nutriebatur aeger morbo ineunte; variant etiam maximè *Petechiae* quoad numerum, colorem, et magnitudinem, nunc paucissimae, nunc numerosissimae sunt, praesertim his partibus corporis minus aëri objectis; nunc sunt vel lucidi vel coccinei, nunc obscuri vel lividi coloris; aliis exiguae, aliis magnae, longulaeque *Petechiae* sunt, et hanc ob causam vibices vocantur. Plerisque creditur *Petechias* dissolutionem sanguinis globulorum, necnon haemorrhagiae proclivitatem indicare; sententia sequens opinionem homi-

nis observantiae et experientiae multae * demonstrat. "But whatever gives the first "rise to them" (febribus nervosis), "if "they end in *Petechial spots*, putrid spots, "or *grow contagious*, we may from thence "safely conclude, that by long continuance "of the disease, *the humours are resolved* "*and become putrid*, or, in other words, "that the nervous fever has changed into "one of a more malignant form." At profecto quamvis vera haec observatio, aut quamvis benè fundata haec opinio plerumque sit, vidi sanguinem *Petechiis* existentibus missum, superficiem albam coriaceam ostendentem, et crassamentum texturae tenacis habentem.

Cum his indiciis plus minusve gravibus *Typhus* progreditur donec appropinquat mors; tunc ingravescunt omnia praecedentia, et his superadduntur alia. Coma et delirium adeò augescunt, ut desiderium naturale vesicam et alvum evacuandi negligitur, vesica dilatationem magno ex numero

---

* Sir J. Pringle.

urinae in ea collecto non sentit, hanc si solicitatus, interdùm potest reddere aeger; aliàs evacuationi arte opus est. Interdum dejicitur alvus aegro inscio. Pervigilium delirium plerumque comitatur, delirium auget et ab eo augetur, ab his multum cruciatur aeger. Visus varia vitia manifestantur symptomatis variis, nempe muscis volitantibus, floccorum stragulis venatione, et caeteris, in paucis credo me caecitatem perfectam vidisse. Sudor aut diarrhoea in ultimis morbi diebus multùm diminuit vires exiguas adhuc relictas, quae quidem plerumque adeò minimae sunt, ut egregiè mereuntur "vires multum imminutae" designari. Evomit interdum aeger materiam subnigram aut rubidam, aliàs materiam similem alvus dejicit, haec nimiùm manifestè ostendunt, vel haemorrhagiam ex quibusdam vasis sanguinem transmittentibus, aut ventriculi, aut intestinorum erupisse; vel per ipsas parietes eorum sanguinem percolasse. Eadem observanda sunt (mutatis mutandis) cùm materia nigra aut sanguinea in urina reddatur, quae saepe odorem foetidum et valdè nauseantem praebet. Statìm vel citò

post operationem medicamenti cathartici interdum accidit tumor subitus totius abdominis; hic tunicas intestinorum corruptas esse designat, et necessariè aërem et alia in iis comprehensa hoc modo proruisse *.

Anima maxime foetet, et saepe adèo foetet corpus, ut ferè nos suaderet morti putredinem praecessisse. Haemorrhagia nunc ex naribus, nunc ex ano, quidem interdum ex utroque profluit. Vires maximè imminutae fiunt, nequit aeger in lecto corporis positum mutare, vel quidem caput convertere, et ad imum lectum delabitur. Partes corporis, quae diuturno cubitu pressae sunt, sphacelo afficiuntur, et haud ràro ossa, ilia nempè, femur, et sacrum denudantur. Cadunt palpebrae et oculi pupillam celant, dum vertitur oculus ipse, quo pars albida inferior orbis detegitur, hic in aliis maximè prominet, in aliis subsidit. *Cornea* arescit et obscuratur, hoc de secretione lachrymarum impedita pendet. Livescunt ungues, extremaeque partes digitorum, et pedum, et manuum,

---

* Hoc Indicium nunquam vidi, sed id memoro Doctore Gregorio testante.

et in paucis ubi symptomata gravissima fuerunt, gangraena accidit. Nervi variorum musculorum distenduntur. Adsunt tremor, tendinum subsultus, strabismus, dentium stridor, et singultus. Ex conjunctione plurium horum cum naso quasi mucronato, ab alis narium collapsis pendente, constat signum *Facies Hippocratica* vocatum. Frigus in extremis partibus incipit, et abhinc gradatim ad cor versus progreditur. Concidit maxilla inferior. Enunciare nequit aeger, nequit etiam exsorbere fluida quae ori infunduntur. Buccis morte solutis raucum sonat. Gradatim imminuuntur actiones pulmonum cordisque; atque nunc ad hunc modum, nunc inter vehementes nervorum distentiones, sub umbras fugit denique VITA - - - - - DIXI.

Excudebat C. Stewart.